



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

121. Quæ negligentia requiratur, ut per homicidium casuale ex ea
consequens, efficiatur quis irregularis? Et docetur Clericos esse irregulares
ex oppressione filiorum, si ipsis procurantibus, aut ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

minis foret, cum igitur de eo casu jus non agat, in illo non contrahetur irregularitas. Et ita tenet Gibalinus loco cit. num. 26. cuius sententiam, quoad omnia superius dicta invenio confirmatam à Doctissimo Patre Francisco Sardi de *Conscientia*, disp. 6. cap. 7. §. 4. num. 2. & 3. ubi sic ait: Dispositio illius juris in *ca. ad audientiam*, & in illis capitulis *supra citatis*, secundum quam statuitur in dubio homicidij, seu concurfus ad illud, dubitantem reputandum esse irregularem, intelligi debet, quando constat de corpore delicti, licet dubietur an dubitans habuerit influxum in illud delictum, necne; tunc enim dicitur constare corpus huius delicti, cum sumus certi de morte hominis: at in casu nostro non constat, de ipso corpore delicti, cum dubius sit an factus fuerit animatus, necne? Seu, an fuerit homo: & cum dispositio illa sit pœnalis, restringenda erit: proinde, nisi constet de homicidio, iudicandum est delictum illud non esse comprehensum sub tali dispositione. Neque contra opinionem hanc urgent textus Canonici citati, qui cum sint pœnales, & strictè explicandi, exponi possunt, loqui solum, quando constat de homicidio sequuto, & si attentè legantur, videbitur decisio supponere homicidium jam peractum. Ita Bardi, qui, ut vides, omnia quæ Gibalinus latè supra firmavit, ipse breviter approbat, ex quibus infinitæ irregularitates non incurrerentur. Vide etiam Escobar Iuristam de utroque foro, art. 1. §. 5. num. 89. Escobar Theologum in *Theol. mor. tract. 4. Exam. 6. cap. 5. numero 72* Pellizarium in *man. Regul. tom. 2. tract. 7. cap. 5. num. 5.*

5. Observa etiam, quod doctrina superius adducta potest applicari in Iudice, qui dubius est, an aliquem ad mortem damnaverit. Item in milite, qui dubitat utrum in bello iusto aliquem occiderit; nam in supra dictis casibus, dubium versatur circa ipsum homicidium: ergo non includit irregularitatem. Ita Bardi ubi supra §. 9. & Gibalinus n. 25. qui etiam addit, quod cum in iure non sit sermo de occisione iusta, sed de homicidio, uti apparet ex *cap. ad audientiam*, & *cap. significasti*, homicidium autem dicit eo loco, & quando absolute ponitur in iure, eadem illatam contra quintum Decalogi præceptum, qui dubius erit, an alium occiderit, quem iuste vulneravit, occidereque potuit, non erit irregularis. Neque dicas Clericum in bello iusto pugnantem, & dubium de occisione pronunciari irregularem, *cap. penult. de homicidio*. Respondetur enim non esse irregularem propter dubium cædis iustæ, aut in bello iusto, sed quod propria pugnasset manu, ut advertit Gloss. ibi *ver. remordet*, & Covarruvias in *Clement. si furiosus* 2. par. §. 3. num. 2. & nos inferius dicemus. Vide etiam Franciscum Lugo de *Conscientia*, cap. 2. §. 28. n. 157. & Pellizarium *tom. 2. tract. 7. cap. 5. sect. 1. num. 24.* Unde ex dictis ad illud Axioma in tam decantatum, quod dubius de homicidio censendus sit irregularis: potest quis respondere. Primò, quod dubius de homicidio censendus sit irregularis in foro externo & concedo, in foro interno, & negative. Ita præter alios à me alibi citatos Gibalinus ubi supra num. 19. Respondetur secundo, quod dubius de homicidio censendus sit irregularis, quando dubium versatur circa personam occidentis, & circa modum occisionis: secus autem quando dubium versatur circa ipsum homicidium, an fuerit perpetratum, necne, ex his quæ supra firmata sunt. Respondetur Tertio, quod dubius de homicidio censendus sit irregularis, quando dubium versatur circa eadem illicitam; secus autem quando versatur circa homicidium iniustum; unde ex his omnibus Responsores casuum Conscientiæ multas irregularitates evanescere facient.

6. Verùm his non obstantibus, licet superius dictum.

ita, nimium plausibilia, & grata fore Lectōribus non dubito, tamen quia aliqua ex ipsis non approbat Praxis Dataria, & Sacrae Pœnitentiariæ; ideo secundum mentem supradictorum Doctōrum à me dicta esse volo, & in facti contingentia viri docti cogitent & iudicent memores illius dicti, quod stylus Curia facit jus, & quod non oportet sapere plus quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; quod utinam fecisset noster Pater Vidal in *arca Theologia moral. tit. de Duello, inspect. 3. n. 22. cum seqq. & inspect. 4. n. 15. & seqq.*

RESOL. CXX.

Utrum, qui tradidit arma Titio, quibus Caium occidit, sit irregularis? Ex parte 4. tractatu 2. Ref. 11.

§. 1. **A**firmativè respondet Bonacina de *censuris* disp. 7. quæst. 4. punct. 8. num. 35. ubi citat Suarez, Filiucium, Molinam, Vgolinum & Felinum, si suspicionem aliquam habuit, illa peti ad homicidium patrandum, tunc enim occisio inde sequens censetur sufficienter voluntaria, ita ut imputetur ad culpam, & ad pœnam irregularitatis ex homicidio casuali; si verò nescivit, nec suspicatus est peti ad malum, excusatur ab irregularitate.

2. Non gravabor tamen hic adnotare sententiam Galparis Hurtado disp. 2. de irregul. diff. 8. num. 32. ubi sic asserit: Id tamen quod docet Sayrus, & Avila, nempe eum esse irregularem qui præbet arma, sciens, aut tinens esse ad iniustè occidendam, quamvis verum existimemus, quando ea præbet ex intentione homicidij, quia tunc verè dicitur occidere juvando ad illud, imò id pertinet ad homicidium ex proposito, quia assumit medium utile ad occisionem ex intentione occisionis. Id tamen difficile existimamus, quando ea præbet absque intentione homicidij, quia tunc non dicitur occidere, nec ad id juvare, quia tunc tantum tribuit arma; quibus occidens possit bene & malè uti absque intentione mali usus, quod non pertinet ad homicidium absque dicta intentione, quia ita est utile ad homicidium, ut etiam sit utile ad alia bona, & ad summum id tantum est peccatum scandalii passivi, & contra iustitiam secundariò, & non obligans ad restitutionem damni, ita Hurtado; sed ne discedas à prima opinione.

RESOL. CXXI.

Qua negligentia requiratur, ut per homicidium casuale ex ea consequens, efficiatur quis irregularis?

Et docetur Clericos esse irregulares ex oppressione filiorum, si ipsi procurantibus, aut studiose negligentibus fuerint oppressi. Ex parte 2. tractatu 2. Ref. 21.

§. 1. **R**espondeo contra Megalam in 3. par. lib. 7. cap. 2. quæst. 5. num. 110. quod requiritur negligentia, quæ omnibus considerata perveniat ad peccatum mortale, nam irregularitas homicidij casualis est pœna peccati commissi in non adhibendo diligentiam requisitam; cum autem hæc pœna sit valde gravis, non videtur esse intentio Ecclesiæ eam infligere propter levem culpam, & ideo in cap. *quæsumus*, de pœnit. declarantur Clerici esse irregulares ex oppressione filiorum, si ipsi procurantibus, aut studiose negligentibus fuerint oppressi; & ita docet Sylvius alterius §. in

Sup. hoc sup. in Ref. 1. 2. 3. & 6. cum sim in duabus vltis lin.

Ad elucidandam hæc quest. lege doct. Ref. seq. & alterius §. in

in 2. *D. Thom. q. 64. art. 3. concl. 3.* qui citat Sorum, Bañez, & Suarez, quibus ego addo Filliucium *tom. 1. tract. 20. cap. 3. n. 59. & 61. Conitich. disp. 18. dub. 9. n. 88.* & alij communiter.

RESOL. CXXII.

An incurratur irregularitas ex homicidio casuali, quando factum fuit dando operam rei illicitæ, etiam si adhibita fuerit debita diligentia. Ex part. 4. tract. 2. Ref. 20.

Quoad hoc §. 1. **A**ffirmativè respondet Caietan. in 2. 2. q. 64. ne de las legere doct. Ref. præteritæ à medio, à verò declaratur & sup. ex Ref. 111. vide §. Nota secundo. & alios §§ ejus.

Affirmativè respondet Caietan. in 2. 2. q. 64. art. 9. Sylvest. *ver. homicidium 2. num. 2.* & alij, & hanc sententiam multi tenent quando homicidium sequitur dando operam rei illicitæ periculosæ, & tendenti ad illud. Ita Petrus Cornejo in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 3. dub. 2. concl. 2. Avila part. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 1. opin. 3. ubi citat Covarr. Sorum, Cordubum, Castrum, Medinam, Aragon. & Navarrum, quibus ego addo Fernandez in *medulla parte 2. capite 10. §. 14. numero 1.* Majolum de irregularit. lib. 5. cap. 48. §. 3. Paludanum, Gabrielem, Conradum, Navarrum, Felicianum penes Tannerum *ubi infra.* Villalobos in *summa tom. 1. tract. 2. 1. dub. 23. n. 3.* Valentiam *tom. 3. disp. 2. quest. 3. punct. 3.* Sanchez de *matrim. tom. 2. lib. 9. disp. 3. 2. n. 25.* & alios penes ipsos. Ratio est, quia tale homicidium est voluntarium in causa.

2. Sed ego negativè sententiæ tanquam probabiliiori adhæreo, quam docet Coninch. de *Sacram. disp. 18. dub. 9. n. 80.* Hurtado *disp. 2. de irregul. diff. 8. n. 28.* Præposit. in 3. part. q. 5. de *irregul. dub. 10. n. 63.* Filliucius *tom. 1. tract. 20. cap. 3. n. 64.* Tannerus in 3. part. disp. 6. q. 10. punct. 1. n. 216. Henriquez lib. 13. cap. 1. n. 1. & cap. 15. Emanuel Sà *ver. irregularitas ex deformatione licita, num. 4.* & alij. Dico igitur occidentem in casu nostro nunquam fieri irregularem, nisi ipsa actio hinc & nunc ita sit periculosa, ut peccet contra jus naturæ præcisè ratione periculi occidendi, cui hinc & nunc ita operando se exponit. Et ratio horum est, quia irregularitas, de qua agitur, non incurritur nisi intercedat culpa homicidij, cum sit irregularitas ex homicidio casuali; sed in nostro casu non intercedit culpa homicidij, cum ratione diligentæ præstitæ homicidium non censeatur plene voluntarium, ergo, &c.

3. Adde quod, ut sæpius dictum est, irregularitas non incurritur nisi in casibus à jure expressis; sed in nullo jure expressum est homicidam esse irregularem ob homicidium omnino casuale, licet factum dando operam rei illicitæ etiam ex se tendenti ad homicidium: ergo, &c. Vide Hurtadum & Coninch, qui respondent ad *cap. dilectus*, & *cap. Ioannes de homic.* quæ facere videntur contra nostram sententiam, sed revera non faciunt.

RESOL. CXXIII.

An adulter irregularis fiat, si maritus, cognito adulterio, uxorem interficiat? Ex parte 4. tractatu 2. Refol. 1.

§. 1. **P**rima opinio affirmat, ita Navarrus *cap. 27. n. 238.* Gutierrez in *quest. canon. lib. 2. cap. 6. num. 42.* Sayrus de *cenfur. lib. 6. cap. 17. num. 14. in fine.* Vnde Ioan. de la Cruz in *director. part. 2. de irregularit. dub. 11. concl. 4.* sic ait: Qui ob literas amatorias missas adulteræ, aut ex eo quod eam insequitur, est

in causa quod adultera à marito occidatur, tunc adulter sit irregularis. Et patet, nam illa insecutio adulteræ cum suis circumstantiis considerata est periculosa & satis ordinata ad mortem, attento fervore zelotypiæ, qui ad vindictam mortis sumendam de adultera rapit virum. Sic ille.

2. Secunda opinio negat, & ita tenet Covarruvias *p. 4. n. 10.* Castrus lib. 2. de *lege penali cap. 14.* Aragonius in 2. 2. q. 64. art. 8. Navarra de *restit. lib. 2. cap. 3. numero 363.* nam adulterium, ut tenet se ex parte adulteri, non ordinatur per se ad homicidium adulteræ: ergo.

3. Tertia opinio distinguit, nam aut adulter temerè se ingerendo exposuit adulteram mortis periculo, & in tali casu procedit prima opinio affirmativa; aut verò adulter cautè, & arbitrio prudentis conveniendi diligentia adhibita commisit adulterium, & tunc procedit opinio secunda. Ita Filliucius *tom. 1. tract. 20. cap. 3. n. 80.* ubi testatur de praxi Penitentiarie Layman *sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 10. num. 2.* Suarez de *cenfur. disputat. 4. §. 6. num. 5.* & Petrus Cornejo in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de *irregular. disp. 3. dub. 2. concl. 1. num. 3.*

4. Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles, & secundam negativam absolute præter DD. citatos tenetur Avila de *cenfur. p. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 3. conclus. 2.* & Megala de *cenfur. lib. 7. cap. 2. quest. 5. n. 81.* ubi ita asserit. Dubitari hic potest, an irregularitatem contrahat adulter, qui ita imprudenter accedit ad uxorem alterius, ut probabiliter exponat illum periculo mortis: Et videtur esse respondendum affirmativè, siquidem si tunc mors sequatur, quamvis illam per se noluerit adulter voluit tamen in causa moraliter data homicidio. Tu verò dicas adulterum non esse irregularem, quia ad contrahendam irregularitatem ex homicidio casuali proveniente ex opere illicito, non sufficit quælibet causa, sed necessario requiritur, ut alterum ex his interveniat, vel ut opus illud per se sit aptum ad inferendum homicidium, vel ut sit causa immediata illius: sed adulterium nec per se est aptum ad inferendum homicidium, nec est causa immediata illius; ergo adulter non erit irregularis. Sic Megala *loc. cit.* Vnde etiam Turrianum de *cenfur. lib. 9. disp. 63. dub. 4.* & Præpositum in 3. part. *quest. 5. de irregularit. dub. 11. num. 88.*

RESOL. CXXIV.

An adulter efficiatur irregularis, si maritum aggressorem causa necessaria defensionis occidat?
Et ex doctrina hujus questionis alij quatuor casus inferuntur, in quibus est dubium, an incurratur, vel non incurratur irregularitas. Ex p. 4. tr. 2. Ref. 2.

§. 1. **E**ssè irregularem docuit Villalobos in *summa. tom. 1. tract. 21. d. sic. 24. n. 4.* ubi sic ait: [El obispo que dio à otro un bofetón, aunque no pueda evitar la muerte si no en huyendo, si mata el otro queda irregular porqué pudo evitar la muerte evitando la injuria causa, y lo mismo juzgo del adultero que fue hallado en adulterio y el marido le preste de matar, que en tal caso aunque para librarse de la muerte el le mate queda irregular, pues lo pudo excusar con excusar el pecado.] Ita sup. hinc ille, & ante illum Navar. *cap. 27. n. 238.* Molina de *just. quæst. tract. 3. disp. 7. 2. n. 5.* Vgolinus de *irregul. c. 29. §. 3. n. 3.* Majolus de *irregul. lib. 5. c. 48.* Philareus de *officiis sacer. c. 1. lib. 4. c. 11. §. 3.* Gutierrez in *can. 99. lib. 2. c. 6. n. 47.* in *lib. 2. & alij penes DD. infra citandos, quia adulterium est de veni. se illicitum, & via quædam ad homicidium perpetrandum, & ideo prævideri poterant & debuerant ab occidente hujusmodi effectus.*